

1599

addentibus, Leonardus Donatus, Marcius Procurator, ne inauditus dimittatur, suadet; tum ne spreta Ferdinandi legatio videatur, tum quod inde nullum Respublica detrimentum accipiat; rem integrum in Patrum potestate fore. Duobus itaque ex Patrum numero, Jacobo nempe Fuscarenio, ac Zachariæ Contareno, ut, Rebata auditio, ad Senatum referant, præcipitur.

Interea Italici externi pedites difficulter conscribuntur. Prorex Neapolitanus, atque Insubrum gubernator, nova Ferdinandi affinitate Regis causam agi, rati, in suis ditionibus milites pro Venetis deligi vetant. Suesianus legatus, ut idem Itali Principes efficiant, enititur. Clemens quoque, severissimis edictis extrahi ex pontificiis ditionibus pedites, prohibet; Ferrarie ob id præfecti aliquot Veneti carcere inclusi. Pontifex ipse nihil adversum Reipublicæ agere affirmat; sibi in neutram propendere partem constitutum; a subjectis imperio suo bellum inter christianos Principes ali, prosperos Pannoniæ eventus inteturbari nolle. Verumtamen cum summi esse rem momenti, atque justissima in causa Reipublicæ favere æquum arbitraretur; præter literas, quas ad Cæsarem atque Archiducem vehementes dederat, Flaminium quoque Delphinum, virum rei militaris usu præstantem, ad Rodulphum mittere statuit; ut aliquod præsentibus molestiis a Cæsare remedium omni officio afferri contenderet. At minores Italiae Principes vel metu vel Hispanorum nexu aliorum exemplum sequuntur. Mutinensis præfectos aliquot in suis finibus milites cogere adnixos, in Brixillo oppido custodiæ tradi jubet; Urbinas non modo milites pernegat, sed alibi conscriptis per suos fines transitu interdicit; Patrum officiis cum Brunetto abbe, ejus internuntio, ne quidquam adhibitis, qui responsum se ab Duce retulisse affirmabat, vigore quidem in eo jam inde a majoribus acceptam eximiam in Rempublicam nomenque Venetum observantiam; sed quo minus ea in re satisfaceret, Principum ac præsertim Hispanorum officiis impediri; quod de Ferdinando, sororio Philippi, agatur, cui nuper quindecim millium aureorum pensione (duodecim, quæ a Philippo secundo patre persolvebantur, tribus additis) devinctus esset. Rainutius tantum, Parmæ

*Jacobus
Fuscarenus,
& Zacha-
riæ Con-
ta-
renus, ad
Uscocborum
negotia cum
Rebata tra-
ctanda, de-
bet.*

*Flaminius
Delphinus
ob Uscocbo-
rum nego-
tium in
Germaniam
a Pontifice
missus.*